

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

De

LAUDATIONE
FUNEBRI,

Quod

GRATIA POTENTISSIMI SUBLEVANTE,
Suffragiis Ampliss. Facult. Philosoph.

Sub PRÆSIDIO

ISAACI ΒΥΖΟΥΡΛΟΥ /
L. L. SS. Profess. Ord.

In Audit. max. almæ Aboënsis Acade-
miæ, die V. D. 5 Maji 1733.

Candidæ Philosophorum συζητήσεως quæ par
est observantia sistit

S: e R: e Maj: tis Alumnus,

GUST. NIC. POLVIANDER,

Satacundia Finno,

A B O Æ,

Excud. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ

Magnæ Fi

Reverendissimo in Christo

D^N. LAURENTIO

S. Theologiæ DOCTORI consummatis-
eminentissimo, Pro-CANCELLARIO
rui Ecclesiastici PRÆSIDI longe gravissi-

MÆCENATI

Nec

Summe venerandis VIRIS, Consistorii
qvissimis, S. Theologiæ DOCTORIBUS,
celeberrimis, Patronis æternum

Maj:tis

dei VIRO,

Patri ac Domino,

TAMMELIN,

fimo, dicecesios Aboënsis EPISCOPO
Academiæ magnificentissimo, Constituto,
Scholarum EPHORO colendissimo,

MAXIMO:

210.10
Ecclesiastici ASSESSORIBUS longe æ-
LICENTIATO & PROFESSORIBUS
pie suspiciendis.

PRases & Antistes sacrorum: vos-
que verendi

Pieridos Vates, astriferique Dei.

Pagina nostra sibi decus audax adde-
re vestrum

Appetit, & procerum nomina fron-
te gerit.

Ne tennes chartæ vilis contemnite fasces.

Pondere nec turris pendite grana
levi.

Este

*Este patrocinio Musis, mea parva
carina*

*Sentiat hos zephyros, perfugiumque
sacrum.*

*Sic mea non parvo lassabunt aethera
fumo*

*Vota, ferat vestras aura secunda
rates.*

Magnorum Nominum Vestrorum

*cultor humillimus
devotissimusque*

Gust. Polviander,

VIRO! Admodum Reverendo atque Amolissimo,
Dn. IACOBO GARWOLIO,
Pastori Biörneburgensi, ut & Ecclesia-
rum Ulsbyensium longe meritissimo,
districtus vicini Præposito gravissimo,
Patrono indulgentissimo.

VIRO Spectatissimo Consultissimoque,
Dn. MARTINO POLVIANDRO,
Judici vicario per partem territorii Uh-
leburgensis australem dignissimo,
Patruo carissimo.

VIRO Spectabili ac Prudentissimo,
Dn. JUSTO SCHULTZ Joh. Fil.
Civi & Mercatori Aboënsi solertissimo,
Fautori honoratissimo.

Quicquid hoc est, vestris sacris thy-
Dedicat atque

Vobis Patroni
deditis-

Auctor &

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
D. Mag. MICHAELI POLVIANDRO,
Pastori Ecclesiarum Mouhijerviensium
vigilantissimo, Patruo æstumatissimo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Eruditissimo,
Dn. GUSTAVO ROTHOVIO,
Mouhijerviensium, & Legionis pedestris
Biörneburgensis Sacellano pervigili, Præ-
ceptorum quondam diligentissimo, jam Af-
fini dilectissimo.

VIRO Spectabili ac Prudentissimo,
Dn. JOHANNI H. WITTFORTH,
Civi & Mercatori Aboënsi solertissimo,
Fautori plurimum honorando.

miama, colendi,
dicat;

& Evergetæ,
simus
Respondens.



Auspice

DEO OPT. MAX.

§. I.

Virtus, ut bonum præstabile & eximium, ut plurimum in pretio esse solet, iis cumprimis, qui vim rationis naturalis in homine ejusque actionibus omnem non fastidiunt & inficiantur. Est ea quippe rationis, si vel aliqua ei accedat

cedat cultura, in homine efficacia, ut actiones ejusdem ad normam æquitatis naturalis componere, & si suo non resistatur consilio, etiam ad integritatem moralem provehere nitatur valeatq;.

De virtutibus Christianis agere alterius est fori; eam tantum heic attingo perfectionem, quæ ex præceptis naturæ, vel rectæ rationis obsequio homini accedere possit: hujus enim tanta omnino est, fuitque in primis antiquitus vis, ut nemini non ad virtutem & integritatem moralem ingens saltem potuerit esse incitamentum. Ferrea hæc ætas homines tulit nequiores, cereos quippe ad vitia flecti, ad virtutem ejusque studium ferreos nimis & ine-

ineptos, neque tamen virtuti suos penitus deesse cultores statuunt, qui trutinam non usquequaq; rigida temporum nostrorum vices perpendunt examinantque: ac licet duro hoc ævo virtuti sua præmia sui que honores non respondeant semper; virtus tamen ipsa in se amplissima est merces, & in sinceris minimum animis, omnino ἀντάρτης πρὸς εὐδαιμονίαν. Sed hæc extra propositum: redeundū est ad antiquos, quorum qui meditationes etiam ex lumine naturæ conceptas, de virtute ejusque exercitio non per omnia ignorant, eximium iisdem virtutis moralis amorem & existimationem fuisse, fateri uno ore coguntur omnes. Unde etiam apud Romanos Vir-

rus pro Dea culta est, cujus templum ita fuisse conjunctum fertur cum aede honoris, ut ad hanc non nisi per illud pateret aditus, quo commento procul dubio significare volebant, veram unicamque parandi honoris viam debere esse virtutem. Sed quia brevitati pro instituti & facultatum ratione jam litandum, animum attendere decet in antecessum, quod magna virtutis etiam post obitum apud honestiores quosque semper fuerit existimatio; inde apud gentes etiam illæ in ornandis funeribus curæ, consecrationes, inferiæ, ludi, & quæ non alia in memoriam virtutis defunctorum, ab illis instituta & excogitata: idque in primis propterea, quia

• • • dici beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Inter cæteros ritus, quos in funerandis demortuis observavere Veteres, non temnendus est ille, quem in laudandis funeribus penes populum Dei & plerosque alios usu invaluisse est observatum. Cum ergo exercendi ingenii causa, specimen quodpiam mihi edere propositum sit, pro meo quidem genio, non injucundum, prorsus, immo nec inutile judicavi, ingenii vires in themate hoc de laudatione funerum experiri, ad quod institutum Divinam gratiam, Tuamque humanissime lector enixe precor benevolentiam.

§. II.

Permanens in proposito primi

mi nobis obveniunt Ebræi, quorum in lugendis demortuis curam, tantum abest ut abnegare liceat nobis, ut potius pro parte sacri cultus eam habitam esse ab illis testes se offerant plurimi. In recensendis vitis patrum antediluvianorum a primipilo historicorum Mose nihil quidem præter שמח observatum fuisse advertimus, qua de re si placet consulatur cap. 5. Gen. per integrum: ubi nisi ea quæ de procreatione liberorum afferuntur in laudes eorum converti placeat, parum vel nihil quod ad rem præsentem faceret, animadvertimus. Cum vero ad descriptionem obitus Abrahami descendimus, in ea quidem species indubia laudationis funebris

se conspiciendam præbet Gen. 25:
 8. quibus verbis, plurima quæ ad
 laudes Abrahami facere videntur
 infert Moyses: cum enim obiisse
 dicitur *in senectute bona, satur vi-
 ta & ætatis*, idem est ac si di-
 ceretur: DEus longævitatem pro-
 missam ei servavit, ipsumque non
 gravi morbo, sed quasi suavissimo
 somno obdormire passus est, *con-
 gregarique ad populum suum*, h.
 e. tumulis avitis non tantum in-
 ferri, sed cum patribus & popu-
 lo suo in cœlis æternum beari:
 ceu pluribus hoc exponunt com-
 mentatores: quæ eadem ad ver-
 bum fere de funere Isaaci, Jacobi,
 & Ismaelis, expressa invenimus.
 Proxima his mihi videtur lauda-
 tio ea, quæ in funus Moysis scripta

reperitur Deut. 34: 10. 11. 12. In
 quam ita Maimonides (a): *His ver-*
bis duo comprehenduntur, primo
quod nullus Propheta sit surrectua-
rus, qui apprehensus sit eo modo
Et ea mensura, qua Moses, Et
qui faciat secundum opera ejus: de-
inde quod signa sive miracula ipse
us facta fuerint Pharaoni Et o-
mnibus servis ipsius, qui, erant ab
ipso disidentes, Et adversarii ejus,
Et in oculis totius Israëlis, hoc
autem de nullo alio ante ipsum, ne-
que etiam post eum reperitur, aut
reperietur: quod etiam verum
est, nisi Christo applicetur, quem
similem ei futurum pollicetur De-
us Deut. 18: 15. Reliqua quæ a-
 pud

(a.) *More Nevochim part. 3.*
cap. 51.

pud memoratum Maimonidem de
 præstantia Prophetiæ Moſis haben-
 tur, lectu non indigna ſunt.
 Quibus inter alia ſi addantur 2.
 Sam. I: 17. ſeq. Cap. 3: 34. 35.
 2 Par. 35: 25. res erit evidens,
 Ebrais omnino laudare funera in
 uſu fuiſſe, quanquam forte in ca-
 na iſta antiquitate minore cum
 apparatu. Et quid mirum hanc
 lugendi laudandique curam obti-
 nuiffe apud Judæos poſteriores,
 non tantum more avito, verum
 & quia, ut habet Buxtorf. (b.)
ſcribunt in Talmudo, quemlibet o-
portere meminiffe, vita functos
honore maximo proſequendos eſſe,
quod omnia que ſiant in mundo
hoc, iſti norint in altero. Hinc
 Mai.

(b.) Synag. Jud. cap. 35.

Maimonides : **ההספד** *planctus*, de
 mortuo est honorificus: quapropter
 adiguntur heredes, ut mercedem sol-
 vant lamentatoribus & lamenta-
 tricibus plangentque ipsum. Et sic-
 ut **המקובנות** sicinnistæ aut præ-
 ficæ cantu tiliarum animas ad lo-
 cum dulcedinis revocare conaban-
 tur: ita **ספרני** lamentatores
 cantus suos mero non absoluebant
 clamore, sed præcipue cantionibus
 ac epicediis ad honorem defun-
 ctorum lugentiumque solamen in-
 stituti: quale illud in morte Rab-
 benu: *Commovete o palmae ca-
 put super iusto, qui similis erat
 palmae, insumamus in luctu dies at-
 que noctes. item: si cedros flamma
 corripuit, quid fiet de hyssopo pro-
 deunte ex pariete? Si Leviathan*
ha-

hamo captus est, quid facient p^res-
 ces in paludibus? Sed quid plu-
 ra? ipsum nomen בְּיַמֵּי חַסְדֵּי,
 quo quæ ad luctum pertinebant,
 insigniebantur, utum laudationis
 funebris apud Iudæos satis super-
 que evincit. Circa ossa vero col-
 lecta & aliunde transportata, non
 recitant lamentationes, neque pre-
 ces aut consolationes lugentium,
 sed solummodo verba laudis ad
 Deum benedictum; itemque ver-
 ba absconditorum. Si quis eorū
 seipsum interemerit, non occu-
 pantur circa ipsum in quoquam,
 nec lugent, nec plangunt, verum-
 tamen stant juxta ipsum seric,
 dicuntque super ipsum precatio-
 nem lugentium, quæ illis צְרוּקָהרִין

appellatur. *conf. de his Gejer. de
luctu Ebr. & Buxtorf. l. cit.*

§. III.

Quod Ægyptiis hic funera lau-
dandi mos obtinuerit, tan-
to minus ambigere licet, quan-
to plenius hac de re edocemur a
Diodor. Sicul. (c.) ita autem il-
le: Cum quis Regum suorum
decedit e vita, Ægyptii omnes
mortem ejus communi mœstitia
lugent, vestes lacerant, templis
clausis forum non frequentant,
festa solennia non agunt, dies
septuaginta duos luto deturpantes
capita, ac sindone subtus mani-
mas cincti, viri mulieresque du-
centi ferme aut trecenti, circum-
am-

ambulant, bis in die novantes
luctum, atque ad numerum cum
cantu virtutes Regis commemo-
rantes. Cibis animantium coctis-
que ac vino, omnique mensæ ap-
paratu abstinent. Non lavacris,
non unguentis, non stratis lectis,
non venereis utuntur: sed tan-
quam defuncto filio per eos dies
mœrentes lugent. Hoc tempore
quæ ad pompam funeris spectant
preparant, postrema die corpus
in arca conditum ante sepulcri
aditum ponunt, ibi breviarium
in vita ab Rege gestorum de-
more recitant: volentique facul-
tas datur, defunctum accusandi.
Adstant sacerdotes, mortui recte
facta laudantes. Populus is per-
magnus est qui exsequias circum-
stat

stat, applaudit veris laudibus: in reliquis magno reclamatur tumultu, quo accidit, ut plures Reges repugnante multitudine solito caruerint sepulcri honore ac magnificentia. Is timor coëgit Ægypti Reges, iuste vivere, veritos futuram post mortem plebis iram atque odium sempiternum. De aliorum vero quorumcunque funere ita (d.): Antequam sepeliatur corpus, prædicatur a cognatis tum iudicibus tum defuncti amicis sepulturæ dies. Perducta in stagnum navi, quod defunctis ex illorum sententia est trahendum, antequam condatur in arca cadaver, permittitur lege volenti mortuum accusare. Si quis.

(d.) *Id. cap. 91. 92. 93. seq.*

quis comprobatur male vixisse, judices sententiam ferunt, qua censent corpus ejus sepulcro privandum. Qui deprehenditur injuste crimen objecisse, magna mulctatur poena. Cum deest accusator aut per calumniam accusatum constat, cognati finito luctu ad laudes mortui vertuntur: nil de genere ejus sicut Græci consueverunt narrantes, existimant enim omnes Ægyptii pariter se nobiles esse, sed ordientes a pueritia, in qua vitæ institutionem eruditionemque recensent, ad viri ætatem descendunt, ejus erga Deos religionem, justitiam, continentiam, virtutesque cæteras commemorantes. Ad quæ verba omnis multitudo correspondet, glo-

gloriam mortui extollens, tanquam apud inferos cum beatis semper futuri. Singulis diebus justos & impios admonent, quæ vitæ utilia existant, cum videant cuique pro his quæ egit debitam præmii memoriam impendi. Qua ex causa ad meliorem singuli vertuntur vivendi normam. Eas enim optimas esse leges purandum est, quibus non divites, sed honesti prudentes, que homines fiant. Quibus etiã nos tanta librorum penuria, qua in carissima patria laboramus, impræsentiarũ acquiescere compellit.

§. IV.

EX Græcis etiam hunc funera laudandi morem repetendũ esse

esse liquet, siquidem evidentia
 hujus rei indicia jam penes Ho-
 mer. obveniunt. Talis fuit, illa
 Andromaches & Hecubæ oratio
 super obitu Hectoris, & Briseidis
 in funus Patrocli, ut & Achillis
 in eundem parentatio, ubi inter
 laudandum Patroclum etiam in
 laudes hostis sui ita canit: (e).

Ἡράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφρουμεν ἔκταρα δῖον
 ὃ τρῶες κατὰ ἄστυ θεῶν ὡς εὐχετόωντο.

Has orationes in præsentia audito-
 rum pronunciatas esse, testantur
 clausulæ, quæ fere uniformiter ita:

ὣς ἔφατο κλαίων, ἐπὶ δὲ σείρόχοντο πολῖται.
 His accedit testimonium Clemen-
 tis Alex. (f).

καὶ οἱ παλαιοὶ δὲ τῶν παρ' Ἑλλήσι, τῶν ἐν
 πολέμῳ ἐπιθανόντων τὴν τελευταίην ἐπαιῆσι.

Et ne sine auctoritate tantus vir

B

hoc

(e) *Iliad*, X. (f) *Strom.* l. IV.

hoc videatur dixisse, provocare
 licebit ad testimonium Thucydi-
 dis (g), hic per Laur. Vallam i-
 ra: Pericles Xantippi filius, ad
 hos qui primi tunc obierunt ora-
 tione funebri cohonestandos de-
 lectus est; & postquam tempus
 orationis habendæ venit, a se-
 pulcro in suggestum, quod excel-
 sum erat, ut quam longissime
 per circumstantem hominum mul-
 titudinem exaudiretur, progres-
 sus verba fecit. Huc etiam fa-
 cit inter alia Demosthenis oratio,
 habita in laudem eorum, qui
 magno ad Charoneam prælio ce-
 ciderant; ex quibus facile colli-
 gitur in laudem fortitudinis &
 incitamentum virtutis easdem ab
 illis

(g.) lib. II. de bello Pelop.

illis habitas esse. Nec est minimum sententiae nostrae a Suida robur, qui in rem nostram haec facit verba: Ceramicus duo erant alter quidem in urbe, alter vero extra urbem, ubi etiam sepeliebant eos, qui pro patria pugnantibus in bello ceciderant, & funebres orationes habebant.

§. V.

DE laudatione funebri Romanorum acturi, eam utramque fere quod a iuncta pagina ad institutum nostrum facere novimus: quamobrem curiosius in originem & processum ritus huius penes eosdem inquirere juvat. Primum, qui apud Romanos laudationem funerum introduxit,

Plutarchus in vita Publicolæ eundem Valerium fuisse ait, qui collegam in bello Etrusco cæsum e suggestu ornavit laudatione funebri, unde postea mos invaluit, viros de republica insigniter meritos pro rostris laudandi; sed successu temporis hic honos etiam delatus est feminis; qua ex occasione, docet nos Livius (b.) *Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem in Jovis cellam collatum, quum in que referri oporteret confusa memoria esset, sacrum omne judicatum, & sub Jovis sella poni jussum. Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod quum in publico deesset aurum,*

(b.) Lib. V. cap. 50.

rum, ex quo summa pacta mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperant, ut sacro auro abstineretur. Matronis gratia acta, honosque additas, ut earum sicut virorum post mortem sollennis laudatio esset. Riturum vero laudationis virorum Polybius (i). per Is. Casaubonum sic: Quoties aliquis vir illustris apud illos migravit de vita; is cum funus efferetur, præter reliquos honores quibus ornatur, in forum ad rostra ut vocant solet efferri: stans interdum ut sit omnibus conspicuus, rarius jacens, ubi populi totius corona circumstante, aut filius, si contingat filium ætate adultum ab eo esse relictum, atque ille

(i) Lib. VI, cap. 52.

ille præfens adfit: fi minus, e
 fanguine junctis aliquis roftra
 concendit, defunctique laudes
 commemorat, & fi quæ dum
 viveret feliciter ab eo fuerint ge-
 fta Unde evenit, ut populus re-
 diens in memoriam anteaكتورum,
 & ob oculos fibi ea ponens, fic
 afficiatur, non illi duntaxat qui
 gerendis rebus quæ funt narratæ
 interfuerunt; fed ii etiam qui
 plane alieni fuerunt ab iis quæ
 narrantur; ut publicus videatur
 is luctus effe. Nomen illorum
 qui de patria præclare funt me-
 riti, vulgo innotescens ad poste-
 ritatis memoriam propagatur, &
 quod longe maximum, juvena-
 tus ad omnia ferenda excitatur,
 quo tandem illam indifcatur
 glo

gloriam quæ bonos solet comitari. Thucydides quidem in oratione allegata ad instituta majorum penes Græcos hæc refert, quod non quidem per omnia se nobis probabit, si perpendamus quæ a Dionys. Halicarn. (k) hunc in modum afferuntur: *Quod hoc sit Romanorum vetus inventum, in funere illustrium virorum vires eorum laudari, neque a Græcis primum institutum fuerit, ex communis historie scriptis didici, quæ tam vetustissimi Poetæ, quam celeberrimi historici prodiderunt. Et post pauca: Sero Athenienses legitimis funeris ritibus hanc laudationem funebrem addiderunt, sive ab iis qui ad Artemisium, & Sala.*

(k) Rom. Antiq. Lib. V.

Salamina & Plataeas, pro patria occubuerant, initium duxerint, sive etiam a rebus gestis in campis Marathonis. Sed ea quoque quae in campis Marathonis sunt gesta, sexdecim annis Bruti funere sunt posteriora, si modo ab his primis laudes in defunctos cepta sunt dici. Unde liquet, quamvis umbra quaedam hujus funera laudandi ritus Graecis a tempore Solonis, vel ante fuerit; incultum tamen pæne ac rudem eum fuisse, præsertim cum nusquam ad normam certorum rituum, antequam a Romanis id fieret, a Graecis hoc factum fuisse deprehendatur.

§. VI.

Jure meritoque jam excipiunt nos Gothi veteres, quorum
in

in ornandis exsequiis curas singulares fuisse ex monumentis vultissimis in propatulo est: idque eo magis, quo Gentilitiis & Cimmericis quali tenebris altius immerfi, animas ante iusta funeribus data vagabundas errare; exsequiis vero persolutis, ad Wallhall seu locum quem imaginati sunt beatitudinis, colligi existimarent. Et quemadmodum in cæteris, que ad iusta pertinerent, curiosa fuit antiquitas Gothica; ita neque laudare demortuos ab iis intermissum esse, testis est Snorro (1) de Hacone Adalstenii alumno inter alia hæc referens: Ipso exsequiarum die pro concione etiam verba faciebant, more apud

(1) Heims Kringla part. 4. cap. 32.

pud ethnicos recepto, ac ad
 Vallhallias eum migrare jubebant,
 hoc est, ad defunctorum sedes,
 quæ bello occisis destinatae sunt,
 ubi quidem rerum curam gerere
 Odinum, ac moras agere perpe-
 tuas creditum est. Nænas etiam
 in laudem illustrium virorum can-
 tari solitas, Hyperboreis in usu
 fuisse unus inter plures testari po-
 test Saxo Dan. (m) ita ille: *Ino*
terfecto Danorum Rege Frothone,
ejusque cadavere per nobilissima cir-
cumvecto imperii oppida, cum stiro
pem Regiam in illo defecisse crede-
rent Dani, communibus Optima-
tum suffragis successor ac regni
heres designatus est, qui defuncti
Regis memoriam digniori celebra-
ret

(m) Lib. VI. hist.

ret encomio. Quo in certamine
Regiam tulit palmam Hiarnus
quidam Poeta, ut temporibus il-
lis ac locis non ignobilis, hoc du-
plici disticho:

Frothonem Dani quem longum vie-
vere vellent,

Per sua defunctum rura tulere
diu,

Principis hoc summi tumulatum
cessite corpus,

Æthere sub liquido nuda recon-
dit humus.

Summa vel argumentum talium
cantuum esse potuit verum illud
frequens, *Far til Odins*, defun-
ctique ad Vallhallam ablegatio.
Quemadmodum secundum Snor-
ronem (n) Eivindus Scaldaspiller
epi-

(n) loco cit. cap. seq.

epicedium composuit in obitum
 Haconis, commemorando quibus
 ille in Vallhallia exceptus sit mo-
 dis, quod peculiari nomine com-
 pellat Haconar Maal. In con-
 vivis etiam inter pocula funebria
 usu receptum erat Scaldis præclara
 majorum facinora cantilenis &
 carminibus celebrare, ut sic viva
 voce velut naturali clasfico, ad ma-
 jorum exempla incitarentur posteri,
 & animi hac virtutis cote acue-
 rentur. Conf. Rhyz. Dissert. de
 sepult. Sueogoth.

§. VII.

REstat ut quæ penes primos
 Christianos circa ritum hunc
 in censum venerint, paucis per-
 vestigemus. Sed cum instituti
 ra-

ratio brevitatis me meminisse iubeat, uno aut altero loco Patrum usum laudationis funebris in ecclesia primitiva N. T. evincere dabitur opera. Scripta certe doctissimi Patrum Nazianzeni, quæ præ cæteris in præsentî negotio mihi ad manus fuere, atque orationes habitæ in laudem Cæsaris fratris, in laudem sororis Gorgoniæ, in laudem Cypriani martyris, & in laudem Basilii magni Cæsariensis Episcopi, vel solæ quantum ad rem præsentem satis est suppeditant. In laudibus sororis suæ Gorgoniæ prolixè factis it probatum, quam æquum sit atque justum domestica etiam prædicare, in quibus tamen aliena alii poscant testimonia, suas suo.

suorumque laudes sordere putantes; neque hoc veretur, ne ultra veritatis metas dicendo profiliat; sed illud contra, ne infra veritatem subsistat, ac procul a rei dignitate remotus, laudatione gloriam virtutis obscuret & imminuat. Difficile quippe esse & arduum, virtutum præstantiam vel actione consequi vel sermone. Addi his merentur orationes Ambrosii de obitu fratris sui Satyri, de obitu Valentiniani junioris Augusti, de obitu Theodosii senioris Augusti habita die quadragesimo depositionis. Euseb. pariter de vita Imperatoris Constantini prolixè agit, pietatem ejus supra omnia extollens. Ita cum Meletius Episcopus Antiochiæ decessit de vita, Gregori-

us frater Basilii funebrem orationem in ejus mortem recitavit, teste Socrat. (o) Has orationes si invicem conferre fuerit volupe alicui, is conciones & laudationes funebres etiam apud primitivos Christicolas deprehendet, in primis si orationem in laudem Gorgoniae habitam, cujus nos modicam tantum partem libavimus, consulere ei licuerit, ubi pro more suo ante citatus pater diffuse & erudite hac de re sermocinatur. Et licet memorias sanctorum quotannis celebratas, originem cultui sanctorum papistico dedisse ab historicis jam pridem sit observatum; nihilominus easdem bono proposito institutas fuisse novimus,

ut

(o) *Hist. Eccl. lib. V. cap. 19.*

ut sc. veritatis coelestis amatores,
ad acriorem cultus & amoris Di-
vini ardorem, & ad exemplum
caritatis defunctorum, cæterarum-
que virtutum quibus insigniti e-
rant imitationem, fortius impelle-
rentur.

§. VIII.

CUm obiter & quasi per trans-
ennam historiam materiæ
nostræ inspexerimus, paucis etiã
quatenus ea justo & æquo con-
gruat, dispiciendum est porro: &
primo quidem an æquum sit de-
functos vel virtutes eorum, qui-
bus in vita inclaruerunt, laudari.
Hoc ut neminem inficiaturum spe-
ro, ita non operosus ero in ratio-
nibus hujus rei ex Jure Naturali
altius investigandis. Ratio enim
sana

sana facile percipere potest, cum laudatur defunctus ex suis virtutibus, non id æquo & honesto repugnare, sed quam maxime congruere: virtute quippe nihil est laudabilius. Et licet tali commendatione virtuti nihil accedat, quippe quæ sine ulla adjectione laudis in se præstans est & eximia: ne tamen quod nostræ est spartæ deseruisse videamur, diligenter laudi ejus invigilandum, & suum ubique ei statuendum pretium: id enim utile non tantum nostræ ipsorum gratia, ut venerationem & amorem virtutis testati, bonorum in nos studium excitare queamus; verum & præcipue hoc faciendum aliorum causa, ut quisque ab exemplis bonorum mores suos

ad virtutis normam componere
 discat. Ergo secundum Clem.
 Alexandr. (p) dico laudem vel vi-
 tuperationem, vel quod laudi &
 vituperationi est affimile, medica-
 menta hominibus maxime neces-
 saria: laudata enim virtus non
 fecus ac arbor crescit. Laudes ve-
 ro virtutis reticere, injuria putan-
 da est, legi naturali adversa, quæ
 omnino suum cuique tribuendum
 esse vult. Et licet defuncti ipsi
 laudum suarum sensu non tangan-
 tur: cum tamen ipsis alia huma-
 nitatis officia magis non supersint
 præstanda, inhumanum erit, si u-
 nicus qui corpori & virtuti eo-
 rum debetur honos prorsus negli-
 gatur. §. IX.

Veritatem in hujusmodi rebus
 pro-

proferre honestum non minus quam utile est: num vero vitia in virtutes transformanda, ac de demortuorum vita laudes quæ in eam non quadrant prædicandæ sint, id est quod jam sequitur ut examinemus. Si nævi sint ejusmodi, qui sine veritatis dispendio, sine bonorum offensione, sine imperitorum seductione quodammodo excusari queant, humanitas suadet, ut si attingendi sint, mitius de iis judicium feramus, modo id sobrie, caute & moderate fiat. Quod si vivis præstare licet, quanto magis vita defunctis? Sed jam quæritur, utrum ratio recta mendacium laudationi funerum aperte admixtum tolerare possit. Quod negandum esse puto, idque ex si-

ne actionum humanarum, qui ad socialitatem directus sit oportet. Verum quidem est, si bonum alterius nullo alio modo promovere, malumque ab eo avertere queamus, etiam per falsiloquium Logice tale licere promovere socialitatem, alteriusque commoda, modo nulli tertio inde noxa inferatur, quem ledere non licet. Per mendacium autem, quod laudationi funerum admiscetur, tantum abest ut commodum obtineatur, ut potius damnum inde metuendum sit gravissimum. Etenim non summum modo illud Ens, quod ratio etiam veracissimum esse ut persuasa sit necesse est, gravissime offenditur, quum penitus ab indole ejus, qui auctor & fictor nos-
 ster

ster esse creditur, defleamus: sed & respectu nostri non æquum est nec rationi conveniens, ut fama nostri nominis bona falsis ejusmodi præconiis per nosmetipsos lædatur, quod omnino fieri censendum est, dum scientes & volentes insuper habita ratione æqui & honesti, multitudini quæ falsissima esse novit, pro veris obtrudere conamur. Idque tanto iniquius est, quanto magis pravos & improbos laudando, bonis nocetur, jusque merito iis proprium, immerito in alterum transfertur: ex quo præter læsionem veritatis historicæ, quæ rerum gestarum fama corrumpitur, societati humanæ etiam hoc potest emergere incommodi, ut
 plus

plurimi susque deque habita ratione veri & honesti, vitiis ac falsiloquiis suo ingenio aptis immergantur, persuadentes sibi, qualemcunque in hoc ævo agant vitam, laudibus tamen ejusmodi, quas Stentoreo guttore in vitiosissimos etiam quosque ebuccinare vident adulationem, vitia sua in virtutes mira quadam metamorphosi transfigurari post mortem. Si vero ex vitiis virtutes effingere liceret, justum & injustum, virtutes & vitia non nisi inani sono discreparent. Qui igitur affectibus tantam indulget, ut verum a falso distinguere non valeat, neque velit, is utique non recte sua utitur ratione: cui omnino re ita se habente præstat tacere, quam male loqui.

§. X.

QUumque mendacium a laudibus funerum proscripterimus, denique perspicendum, utrum dissimulatio quæpiam in laudandis defunctis, ut eorum nævi & maculæ reticeantur, locum habere queat. Ut aliena vitia præter necessitatem proclamare, inhumanum esse dicat ratio: ita nævos demortuorum, virtutibus quamlibet dilaudatis, pie dissimulare nefas non erit. Cujus rei exemplum nobis esse potest David, sanctus ille Rex & Vates, qui transiens vitia soceri sui, solas virtutes eius in epicedio suo in Saulem & Jonathanem recenset. Et licet affectui illi, quo in Saulem & affinem suum Jonathanem

fe

ferebatur, aliquid heic tribuen-
 dum videatur: hoc tamen ab
 officio hominis alienum non esse
 fatebimur: quamvis præterea, id
 heic rationis esse potuerit, quod
 Davidi non illic fuerit propositū
 vitam Saulis universam recensere;
 sed tenerrimum illum affectum,
 quo in Regem & locerum ut &
 affinem suum eorumque laudes
 ferebatur, sinceris iudiciis prodere,
 ut malevolorum iugillationes &
 contumelias, quas in innocuos
 etiam sæpe cadere videmus etiam-
 num, tempestive anticiparet at-
 que dilueret. Quia tamen in vi-
 vorum solatium iusta mortuis po-
 tissimum solvuntur: defunctis quip-
 pe a laude & vituperatione no-
 stra, quantum ad eorum statum
 di-

directe attinet, vel accedere vel
 decedere potest nihil: sana omni-
 no mens id heic consilii suppe-
 ditat, ut vitia defuncti, præser-
 tim de quibus nemini constare
 potuit, prætereamus, & in so-
 la virtutum ejus recensione occu-
 pemur: quippe auditorum non
 interest scire, an vitiis aliquibus
 notabilis fuerit defunctus: ora-
 toris vero, cujus sermo in sola-
 tium superstitum verti debet, mul-
 tum refert officio sibi demanda-
 to decenter fungi. Ergo dum
 hac re non injuria cuiquam fit,
 cum non vitia sed virtutes virtu-
 tum nomine insigniuntur; pro
 consuetudine recepta officiique
 nostri ratione & nobis & incerenti-
 bus ita simul prospicere licebit:
 quip-

quippe cum virtuti suus etiam in pravis hominibus debeat honor, una aut altera vitiorum labe licet adpersa, præsertim si labe illæ usque adeo non sint apparentes; sua eam defraudari laude iniquum est. Id tamen cordatus quilibet in ejusmodi præconio prudenter cavebit, ne appareat universam vitæ imaginem sistere voluisse.

§. XI.

JAM aliquantulum divagata contracturi vela, inter ea quæ ob supellectilis domesticæ & librariæ angustiam, prætermissa esse circa hanc materiam dolemus, præcipuum putamus, quod nihil in præsentia asserere licuit de ritibus

Fen-

Fennorum antiquis, circa laudationem funerum: quos non omnino illis neglectos fuisse, testantur rhythmus, qui non procul a nostra memoria in honorem illustrium virorum decantati sunt. Ita in laudem S. Henrici Episcopi Fennorum, qui primus Christianus in patria nostra fuit Apostolus, longa hodieque superest laudatio metrica, lingua nobis vernacula adornata. Pariter & b. m. Comitum & Russorum domitoris De La Gardie a nostratibus sunt decantata elogia. Quod autem majoribus nostris in usu fuerit, præclara defunctorum gesta carminibus celebrare, testis est Auctor introductus. Msc. ad historiam Fennix antiquæ, utpote qui Ro-

stio.

Iliophum Regem Fenningiæ ob
 rerum gestarum gloriam inter de-
 os relatum esse, & carminibus
 eorum celebratum asserit. Quod
 autem pauca eorum ad nostram
 pertingere potuerunt ætatem,
 causa esse potest, quod plebi in-
 fimæ, penes quam hæc servari
 potuissent, immo debuissent, ru-
 nor vulgariter pro cantilenis qui-
 buseunque eroticis & fabulis accipi-
 antur, & quod fabulosa multa,
 & a delicatioris nostri seculi ge-
 nio non mediocriter abhorrentia
 contineant: hinc factum esse po-
 test, ut rarissimæ earum hodie
 supersint reliquæ, infimusque pe-
 nes infimos eis assignetur locus.
 Quas contra jam pridem exedere
 debuit vetustas, incantationes pu-

to magicas, orco potius quam
 nostra ætate dignas, in majori
 quod dolendum, copia superesse
 videmus. Quod si tamen omnis
 earum tolli posset abusus, insi-
 gne pro tenui meo iudicio histo-
 riæ antiquæ ex illis comparari
 posset supplementum. Nos quia
 & epicedia & incantationes ejus-
 modi prorsus fere ignoramus, te-
 lam hanc aliis, qui feliciori gau-
 dent Minerva, integram serva-
 mus, Lectori candido hæc qua-
 liacunque conamina studiose cõ-
 mendantes. Et siquidem jam
 nihil dixisse mihi videor, cum
 omnia quæ in rem meam pro-
 ferre mihi animus fuit, exhau-
 sisse mihi visus sim, finem
 facio dicendi, Deoque ex quo
 finis

finis & origo ausuum nostro-
rum pendeat, pro concessa
mihi gratia laudes & gra-
tias tribuo sempi-
ternas.

Tantum.



VIRO JUVENI,

*Eruditionis prestantia, & vite integri-
tate, conspicuo ornatissimoque,*

DN. GUSTAVO POLVIANDRO,

Civi & amico candidissimo, cum

primam, eamque de laudatione vir-

tutis defunctorum, evulgaret

dissertationem.

G*Ratulor, optato tandem quod docta
Minerva*

Proferat e loculis, Fautor amande, Tua

Praclarum specimen sudoris & indolis,

isthoc

Eximio prorsus perque polito opere.

Scilicet excultis dum tradis funera verbis

Regnorum retro tot pariterque hominū.

Nempe Palestina, Danaūm, quamque ir-

rigat unda

Ægypti, Gothie gentis, & Hesperia,

His tandem ritus superaddis Christicolarū,

Denique judicio subjecis ista gravi.

Mirari subit ast, quod non fortuna sinistra

Insultu vario fregit iniqua suo

Te dudum, tristis Lachesis cui sustulit omne

Pane domi fulcrum, telaque deserere

Jus.

Jussit Castaliã, longum vale dicere & illis:

*Hæc mala sed forti pertuleras animo,
Amplior hinc Tibi jãgratandi suppetit ansa.*

*Ergo non dubitans, auguror inde, fore,
Ærumnis ut tot perlatis premia digna*

*Gratia diva ferat, temporibusque Tuis
Munera Te decoret merito, & post funera
laude.*

Hecce futura precor. Fac rata vota Deus.

*Carminè hoc festina-
bundus applaudit
Mich. Wanonius.*

FRATER OPTIME

H*isce tuis studiis successus apprecor,
atque
Ausibus innocuis gratulor ex animo.*

Carol. Polviander.